



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De illis qui nesciunt qua fide baptizati sunt. xlvi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

apostolorum doctrinam, & confessum bonam conscientiam in Deum de resurrectione Iesu Christi, liceat iterum interrogari in eadem fide, & in aqua iterum tingi? Vniuersi episcopi dixerunt, absit, absit: illicitam esse sancimus re baptismationem, & satis esse alienum à sincera fide, & à catholica disciplina.

De illis qui nesciunt qua fide baptizati sunt.

Cap. XLII.

Hi autem de quibus scripsisti, qui se baptizatos sciunt, *Ex decr.*
sed cuius fidei fuerint, qui eos baptizauerunt se ne- *Leonis pæ*
scire profitentur, quoniam quolibet modo formam bapti- *pæ epifio*
smatis acceperunt, baptizandi non sunt, sed per manus im *pis per Si*
positionem, virtutē spiritus sancti, quam ab hereticis ac- *cūia cōſti*
cipere non potuerunt, catholicis copulandi sunt. *tutis mſ-*
sis, ca. 29

De presbytero, qui grammaticam ignorabat,

& tamen in Trinitate baptizabat.

Caput XLIII.

Virgilius & Sedonius religiosi viri apud Bauariorum *Ex epist.*
prouinciam degentes, suis nos literis visunt, per quas *Zachariæ*
intimauerunt, quod tua reuerenda fraternitas in iungeret *papæ ad*
eis Christianos denuò baptizare. Quod audientes, nimis *Bonifaciu*
sumus conturbati, & in admirationem quandā incidimus, *Megūi.*
si haberetur, ut dictum est. Retulerunt quippe, quod fuerit *archiepi-*
in eadem prouincia sacerdos, qui Latinam linguam peni- *scopum.*
tus ignorabat, & dum baptizaret, nesciens Latini eloquij
infringere linguam diceret: Baptizo te in nowine patria,
& filia, & spiritus sancti, ac per hoc tua reuerenda frater-
nitas considerauit rebaptizare. Sed sanctissime frater, si
ille qui baptizauit, non errorem introducens, aut heresim,
sed pro sola ignorantia Romana loquutionis infringendo
linguam, ut præfati sumus, baptizans dixisset, non pos-
sumus consentire, ut denuò baptizentur: quia quod tua be-
ne compertum habet, sancta fraternitas, quicunque bapti-
zatus fuerit ab hereticis in nomine patris, & filii, & spiri-
tus sancti, nullo modo rebaptizari debet, sed per solam ma-
nus impositionem purgari debet. Nam sanctissime frater,
sita est, ut nobis relatum est, non amplius à te iilis præ-
dicetur aliquid huiusmodi, sed ut sancti patres docent &
prædicant, tua sanctitas studeat conseruare.

Q. iii